

Item excipiendo dicit, quod constituentes pretensi in dicto asserto mandato nominati omnes et singuli vel saltim maior eoru<n>dem pars dudum prefato reverendissimo patri domino Rabano archiepiscopo Treuerensi tamquam veri obedientes filii obediverunt<sup>3)</sup> necnon et mandatis sedis apostolice pro prefato domino archiepiscopo emissis paruerunt.

10

Item et contra secundum pretensum mandatum dicit excipiendo, quod in eventum et casum, in quem et quos constaret seu constare posset alias de valitudine et subsistencia dicti pretensi mandati, quod tamen non creditur, ex tenore tamen huiusdem non appetit assertos constitutos in eodem aliter quam super pretensa nullitate quorundam processuum coram vobis, r. p., comparere posse aut facultatem aliam habere.

15

Item dicit, quod fuit et est preter id et absque eo, quod dicti asserti constituentes in prescriptis omnibus et singulis pretensis mandatis nominati et descripti communem clerum tam civitatis quam diocesis Treuerensis . . . representarunt seu de presenti representant, pro quo tamen communi clero supradicta pretensa commissio dicitur vobis, r. p., fuisse et esse facta.

Item replicando contra pretensas excepciones partis adverse<sup>4)</sup> et descendendo ad speciem et ad illud, quod pro parte adversa dicitur, quod pro parte cleri communis sit causa commissa super pretensa nullitate ac causa pretensarum appellacionum et quod, pater reverende, sitis subrogati etc., dictus procurator dicti domini archiepiscopi Treuerensis dicit, quod r. p. domino Ludowico non fuit, prout nec est, potestas aliqua attributa in vim commissionis generalis vobis facte, cum, quia prima pretensa commissio<sup>5)</sup> fuit, prout est, subrepticia ac invalida et nulla et quia dictis primis iudicibus non fuit in vim ipsius potestas attributa, nec consequenter vobis fuit potestas attributa . . .

20

Item ad illud, quod pro parte adversa dicitur, quod dictus reverendissimus pater dominus Rabanus archiepiscopus constituit procuratores sub condicione, videlicet si et in quantum causa ipsa rite et legitime devoluta fuerit etc., sed ex isto passu clare liquet, quod dicti procuratores non habent potestatem etc.<sup>6)</sup>, replicatur, quod pars adversa dicit in hoc verum dumtaxat, quod causa non est legitime devoluta nec dictus dominus archiepiscopus potuit citari, et si causa, prout assertus procurator partis adverse asserit, non est legitime devoluta, p.v. non potest in huiusmodi causa procedere, et consequenter revocetur et annuletur per vos pretensa citacio de facto et contra ius ad partes decreta.

30

Item ad illud, quod pro parte adversa allegatur, quod dictus dominus archiepiscopus male sentit de auctoritate et potestate huius sacri concilii etc.<sup>7)</sup>, replicatur, quod dictus dominus archiepiscopus semper fuit et est fidelis christianus et katholicus prelatus, dicti autem adversarii debent tamquam heretici et scismatici iudicari, quia per annum et ultra fuerunt, prout sunt, notorie excommunicati ac aggravati et reaggravati ac fuerunt, prout sunt, rebelles et inobedientes mandatorum sedis apostolice atque Romane ecclesie et obediunt ydolo notorie intruso absque titulo, quem ipsi vocant dominum temporalem. Et sic reverencia allegantis salva: si tacuisset, philosophus fuisse.

40

1) Nr. 99.

2) Nr. 149.

3) Vgl. dazu Meuthen, *Obödienz- und Absolutionslisten*.

4) Nr. 179. Die folgend zitierte Stelle aus Nr. 179 ist in den oben gebotenen Auszügen nicht berücksichtigt.

5) Nr. 176.

6) S. Nr. 179 Z. 1ff.

7) In den Auszügen aus Nr. 179 nicht berücksichtigt.

⟨nach 1433 Juni 5, vor 1433 Juli 15.⟩

Nr. 183

Prokurator des Trierer Klerus ⟨NuK⟩. Duplicaciones gegen die von Rabans Seite ⟨durch Fructus Monte⟩ verfaßten Excepciones et replicaciones.

Kop.: ROM, Bibl. Vat., Ottobon. lat. 2745 f. 43<sup>r</sup>-47<sup>v</sup>.

Erw.: Meuthen, Trierer Schisma 32 Nr. 54 und 168f.

Zum Datum s. Meuthen a.a.O. 32. Unter den Excepciones et replicaciones ist die vorhergehende Nr. 182 zu verstehen. In den folgenden Quadruplikationen Nr. 184 erhalten die Duplicaciones den Titel: Triplicaciones partis adverse in huiusmodi caussa ultimo producte. Wie sich aus den Duplikationen ergibt, ging ihnen noch eine, bisher nicht ermittelte, Replica pro parte sua (nämlich des Trierer Klerus) contra pretensam excep-

cionem, quam pars adversa a principio cause contra commissionem . . . produxit, voraus und wurde von Rabans Seite in einer gleichfalls fehlenden cedula per modum duplicationis beantwortet. Als Antwort auf diese Duplik ist die Duplik Nr. 183 eine Triplik, als Zurückweisung der Replikationen Nr. 182 jedoch bloß eine Duplik. Da die Duplikationen über NvK in der dritten Person referieren (die von mir a.a.O. 32 noch hinzugefügte Nennung des NvK und Helwigs in der dritten Person ist ohne entsprechende Relevanz, da es sich um ein Zitat aus einer anderen Urkunde handelt), möchte man NvK als Verfasser der Duplikationen vielleicht ausscheiden. In den nachfolgenden Quadruplikationen Nr. 184 wird er aber ausdrücklich als conceptor triplicacionum bezeichnet. Eine Bemerkung der Quadruplikationen Nr. 184 Z. 32 über den Verfasser der Duplikationen (licet se speculum iuris estimet) bezieht der Verfasser der Replicaciones secunde commissionis Nr. 185 Z. 39f. auf NvK, den der Verfasser dieser excepciones contra secundam commissionem (= Quadruplikationen Nr. 184) zugleich als conceptor excepcionum bezeichne (womit in diesem Falle die Duplikationen Nr. 183 gemeint sind, die in Nr. 184 selbst aber als replicaciones bezeichnet werden). Im Unterschied zur Zurückweisung der beiden Zitierungen iuris speculum und rabbi iurium wird das weder bestritten noch bestätigt. Man hat wohl auch hier die Verfasserschaft des NvK, wie sie von der Gegenseite behauptet wird, sicher soweit anzuerkennen, wie sie den Inhalt der Duplikationen betrifft.

Procurator ac nomine procuratorio venerabilis cleri communis civitatis et diocesis dominii temporalis ecclesie Treuerensis contra quasdam pretensas excepciones et replicaciones pro parte adversa in huiusmodi causa, ut dicitur, datas et exhibitas . . . replicando . . . , excipiendo et seu duplicando dicit, quod dicte pretense excepciones seu replicaciones sunt, fuerunt et erant nulle, false, mendose et excogitate, invalide tales, quod penitus fide, veritate atque probacione carent et merito non sunt admittende, sed pocius reiciende et lacerande. Ymmo res satis miranda existit, quod allegans in conspectu universalis ecclesie non erubescit tantis ficticiis et mendaciis salva eius reverencia uti et sic in subterfugiis et cause huiusmodi protelacionibus laborare, sed utitur armis iniusticie, quibus dominus suus contra clerum comunem heu iam longis temporibus contra partem suam usus fuit, addens afflictionem afflictis producentem. Tamen premissa in nullo relevant nec nocent parti, contra quam dicuntur esse producta, et sunt alias talia, quod eis penitus nulla fides est adhibenda, prout ex pretensis tenore ipsorum et actorum huiusmodi cause inspeccioneclare patet cuiilibet insipienti ac lacius dicetur verbo et in scriptis suis loco et tempore oportunis et presertim ex infrascriptis.

In primis reproducit repetitque ac pro repetitis habet seu habere vult dictus procurator omnia et singula, que alias contra excepcionem pretensam partis adverse produxit et replicavit, inquantum contra partem adversam faciunt aut quoqvismodo facere possunt.

Item ad articulum, qui incipit 'Et ad declarandum evidencius' etc.<sup>1)</sup>, miratur satis procurator de allegante, quod unum procuratorium debeat revocare aliud nullam faciens mencionem de alio explique vel implicite, directe vel indirecte. Secundum enim procuratorium, de quo in isto articulo, nullam facit mencionem de personis constituencium alterius procuratorii, et si sic, tunc adhuc non haberet vim revocationis, sed magis confirmaret seu potestatem priorum procuratorum. Si saltem in secundo procuratorio expressi forent, innovaret, ut fit in secundo procuratorio de magistro Nicolao de Cusa decano ecclesie sancti Florini Confluencie, qui in primo procuratorio, de quo in dicto articulo partis adverse, ponitur. Et sic fuit et est verum.

25 Item ad articulum, qui incipit 'Quod constituentes pretensi' etc.<sup>2)</sup>, dicit, quod non omnes in dicto procuratorio fecerunt obedienciam neque tenentur ad illam obedienciam, quam dominus Rabanus episcopus Spirensis minus iuste et indebit exigit a clero communi civitatis et diocesis Treuerensis. Et si obedienciam fecerunt, cuius oppositum creditur, nichil ad rumbum. Procurator enim semper agit, quoisque revocatus fuerit; sed de revocatione non constat procuratoribus. Ergo etc.

30 Item ad articulum, qui incipit 'Item contra secundum pretensum mandatum'<sup>3)</sup>, dicit replicando, quod procurator partis adverse non bene singula puncta procuratorii inspexit aut examinavit, et precipue illum: 'ad omnia et singula peragenda, tractanda et facienda in sacrosancto generali concilio Basiliensi' etc. Et statim subditur: 'prout et quemadmodum dicti domini magistri Nicolaus et Helwicus nuper fuerunt prout sunt in concordia ultima Confluencie' etc. Videat ergo et examinet procurator

2 excepciones et replicaciones: excepcionem et replicacionem

<sup>1)</sup> Nr. 182 Z. 1.

<sup>2)</sup> Nr. 182 Z. 7.

<sup>3)</sup> Nr. 182 Z. 11.

instrumentum apud acta in presenti causa productum, ad quod se illud refert, scilicet ad id, quod 35  
est de data anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo secundo penultima mensis decembris,  
et reperiet ampliorem potestatem illorum, de quibus ipse pretensus excipiens facit mencionem.

Item ad articulum, qui incipit 'Item dicit quod fuit et est preter id' etc.<sup>4)</sup>, dicit, quod appareat  
bene ex illo punto, quod allegans non studuit logicam, que tamen est ars arcium, et quia ignorat  
virtutes vocabulorum, de facilis paraloyzatus est. Non enim ponitur in commissione 'omnis aut totus 40  
clerus communis', et sic indefinite et non universaliter supponit clerus communis. Studeat ergo lo-  
gicam et efficietur allegans bonus iurista.

Item ad articulum, qui incipit 'Item replicando contra pretensas excepciones' etc.<sup>5)</sup>, dicit, quod  
satis de falsitate illius articuli doctum est et positum in replica pro parte sua data contra pretensam  
excepcionem, quam pars aduersa a principio cause contra commisionem licet de facto produxit ... 45  
Sic eciam ad sequentem articulum refert se ad premissa in replica prelibata posita.

Item <ad> articulum, qui incipit 'Item ad illud quod pro parte aduersa allegatur' etc.<sup>6)</sup>, et ad se-  
quentem articulum dicit: Si Spirensis bene sentit de potestate huius concilii, iudicio divino relin-  
quendum est, qui scrutator est cordium et cognitor secretorum.<sup>7)</sup> Et utrum procuratores se asserentes  
seu ambasiatores domini Rabani sint et fuerunt hic pro bono concilii Basiliensis, reliquid promo- 50  
toribus concilii. Sciunt ipsi bene, utrum procuratorum produxerunt de adhesione concilii ex parte  
dicti domini Rabani. Et si veritas nuda et aperta esset omnibus de hoc, tunc videri posset, quis iudi-  
cari debeat hereticus, scismaticus, excommunicatus etc. Ipse enim Rabanus heu scisma posuit et ponit  
in ecclesia Treuerensi, in qua bona pax, unio foret, si sua ambicio cessaret, revocatque procurator ad  
animum ex parte dominorum suorum illam iniuriam in hoc articulo expressam et dicit partem suam 55  
fore veros catholicos homines, neque excommunicatos, neque aggravatos, ut clare deo duce patebit  
in processu cause.

Reliqua posita in ista replica, et precipue eciam posita et exhibita in quadam cedula per modum du-  
plicationis, invanum sunt per partem aduersam allegata male et impertinenter. Nichil enim faciunt ad  
propositum, et precipue in ista cedula per modum duplicationis exhibita, neque in materia aut in 60  
forma faciunt contra replicam pro parte mea exhibitam. Et sic fatetur implicite, ymmo expresse, pre-  
tensam excepcionem partis adverse contra commisionem, citacionem atque procuratorum abante  
exhibitam fuisse, fore et esse nullam, falsam, inefficacem et invalidam, inadmissibilem, causa diffugii  
et ad protelandum item datam, contra omnem facti veritatem et iuris dispositionem fraudolenter  
excogitatam et fabricatam, prout hec ex tenore pretenso huiusmodi excepcionum et actorum cause 65  
huiusmodi inspeccione clare poterit patere cuilibet intuenti. Quare procurator nomine quo supra petit,  
ut in dicta sua replica petitum est et fuit. Insuper, reverende pater domine iudex, ut omnis hesitacio,  
si qua est aut esse potest, quod tamen non speratur, in procuratoriis pro parte mea productis, tollatur  
et ob hoc processus cause vobis commisso per amplius sine ratione non differatur, offer<t> procura-  
tor aut sindicus nomine quo supra coram vobis se prestaturum sufficientem caucionem dominos suos 70  
constituentes ratum, gratum habituros omnia acta, gesta et in futurum per ipsum agenda, gerenda  
in hac causa omnibus modo, forma, via, quibus de iure tenetur.

Item dicit idem procurator nomine quo supra, cum ipse habeat interesse in causa presenti mota  
contra dominum Rabanum episcopum Spirensim et constituentes ipsum procuratorem sint consortes  
eiusdem litis, quod tunc eciam, si nullum mandatum seu procuratorum haberet, iuxta iuris disposici- 75  
onem posset et potest in presenti causa agere, defendere se et suos consortes eiusdem litis atque in  
causa usque ad finem procedere, et ergo nullomodo venit repellendus. Et hoc fuit et est verum et se  
probatur ad dictamen vestrum se offert.

---

56 duce: duci    62 procuratorum: procuratorio    67 replica: replica sua    71 habituros: habi-  
turum.

<sup>4)</sup> Nr. 182 Z. 16.

<sup>5)</sup> Nr. 182 Z. 20.

<sup>6)</sup> Nr. 182 Z. 34.

<sup>7)</sup> Vgl. Sap. 1,6; Is. 40,23; Dan. 13,42.